

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (21)

4.9. DE CONDICIONIBUS ARCHIABBATIAE OTTILIENSIS ANNIS VICESIMIS

4.9.1. De difficultatibus internis

Non solum politici eventūs exteriores effectum in archiabbatiam exseruerunt, sed etiam - ut dicebatur - generalis «spiritus temporis» animadvertetur, quo condiciones internae non facilitabantur. Nam unā ex parte multi ex illis monachis, qui aliquo modo bellum mundanum participaverant, post reditum in monasterium difficultates plus minusve magnas habuerunt, ut condicionibus monasticis iterum assuefierent. Fuerat enim eis tempore belli, quo in monasterio non versabantur, omnino alia vita et praeterea cogitationibus «mundanis» et magis democraticis, quae generaliter vigere coeperunt, pars quōque monachorum attrahebatur. Alterā ex parte erant etiam illi monachi, qui ex priore regione missionariā Africanā expulsi sive per castra militaria sive directe in monasterium domesticum remissi erant. Etiam iidem sorte suā non erant ita contenti, quia revera in missionem suam reverti voluerunt et diutius nesciebant, quid sub hōc aspectū de ipsis fieret. Erant tamen in toto conventū etiam tales monachi, qui observantiam severiorem strictioremque sequi desiderabant. Itaque videtur illo tempore conventus Ottilianus in se compluries divisus fuisse, id quod talibus temporibus «transitoriis», ut ita dicam, non est nimis mirandum. Difficultas autem erat in eo, quod illas perceptiones diversas componere non ita bene contigit.

Scitu vere dignum est Superiores difficultates quasdam, quae cum problematis vitae monasticae denuo suscipiendae cohaerebant, iam aliquatenus praevidissee et sanare conatos esse, ut ex commercio epistulari inter episcopum Thomam Spreiter et archiabbatem Norbertum Weber apparet. Nam Thomas Spreiter suasit atque rogavit, ut unā ex parte illis, qui ex Vicariatū ad archiabbatiam reverterentur, exercitia spiritualia minimum decem dierum facienda essent et alterā ex parte omnibus ex bello reducibus per duos menses exercitia novitiātūs denuo participanda essent, ut iidem spiritualiter renovarentur.¹ Norbertus Weber huic proposito prorsus assensus est² subiungens

¹ *Cfr* Thomae Spreiter epistula die 6 m. Ian. a. 1919 ad Norbertum Weber directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

² *Cfr* Norberti Weber epistula die 30 m. Mart. a. 1919 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

praescripta Romana hac in re ad clericos spectantia etiam ad missionarios revertentes extendenda esse.³ Tamen archiabbas putavit - ut eodem loco scripsit - omnibus esse bonam voluntatem, quā de causā solum quidam impulsūs essent dandi. Fortasse archiabbas illo temporis momento magnitudinem difficultatum ex benevolentia suā nondum omnino clare viderat sive nondum videre voluit.

Etiam si fortasse talia exercitia instituebantur, tamen quidam monachi - et Patres et Fratres - condicionibus translaticiiis in monasterio valentibus non iam ita contenti erant, cum sive maiorem participationem in abbatiā regendā⁴ sive statum suum meliorandum desiderabant. Sed ipse archiabbas (et etiam plures Patres) omnino aliam perceptionem, quid esset monasterium, habebant, quae magis monarchica atque patriarchalis erat. Nihilominus difficultas quaedam etiam erat in eo, quod Norbertus Weber ex indole suā erat homo benignus, harmoniam quaerens et, quantum fieri potuit, dissensiones vitans, quā de causā multa concessit, quae contra persuasionem suam generalem erant. Hac vero condicione ipse intrinsecus discerptus erat et multum passus est.⁵ Interdum autem archiabbas strictissime agere conatus est, quibus occasionibus tunc illi, qui voluntatem suam perpetrare non valuerunt, offensi erant. Propter hunc Norberti Weber indulgentem modum nonnulli opprobrio ei dederunt regendi manum firmam ei deesse.

Significans et mutationem rerum indicans hōc in conexū videtur casus F. ris Canisii Blümel.⁶ Idem enim, qui munere lignarii fungebatur, id efficere

³ *Cfr* Sacrae Congregationis Consistorialis decretum «De clericis e militia redeuntibus» die 25^o m. Oct. a. 1918^o divulgatum (AAS 10, 1918, pp. 481 sqq.), ubi cap. III,5 sqq. (p. 483) leguntur praeter alia haec: «*Omnes sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, intra tempus ab Ordinario suo designandum (quod sine iusta et necessaria causa nimium protrahere non licebit), secedere debebunt in aliquam piam domum ab Ordinario designatam ad spiritualia exercitia peragenda, iuxta ipsius Ordinarii praescriptiones.*» - Textus originaliter Latinus.

Scitū dignum est die 15^o m. Ian. a. 1919^o ab Sacra Congregatione de Propaganda Fide «Decretum de missionariis e militia redeuntibus» exhibitum esse (AAS 11, 1919, pp. 51 sq.), ubi brevi textū originaliter Italico legitur idem de exercitiis spiritualibus ab missionariis faciendis, antequam munera denuo suscipere eis liceret (p. 52).

⁴ De hac re eiusque causis *vide* infra, cum agatur de Capitulis generalibus deque delegatis.

⁵ Saepius in commercio suo epistulari Norbertus Weber de his problematis internis eiusque sequelis locutus est. De hac re *cfr* etiam infra.

⁶ *Cfr* Cyrill SCHÄFER: Stella maris. St. Ottilien 2005, p. 111 et adn. 230, qui secundum acta in archivio Congregationis Religiosorum asservata hunc casum breviter explicat; fusius hanc rem tractat Johannes MAHR: «Sein Reich ist zunächst auf dieser Welt». Erzabt

voluit, ut etiam Fratribus laicis vota sollemnia proferre liceret et ne iidem diutius a iuribus capituli atque ab precibus in choro fundendis excluderentur. Scopus erat in eo, ut Fratres conversi non iam essent monachi inferioris gradūs. Haec desideria certe sunt bene intelligibilia et erant etiam iusta, cum F.ri Canisio de unitate quōque familiae monasticae ageretur.

Postulata autem sua atque adnotationes criticas intra monasterium publice exhibuit et praeterea cum effectū quodam alios quōque Fratres conversos ad rem suam attrahere valuit. Talis modus progrediendi ab aliis ut «eversio» percipiebatur, cum et postulata et modus agendi contra structuram monasticam essent. Variis rixis exhibitis Fr. Canisius denique die 2^o m. Sept. a. 1921^o archiabbate consentiente⁷ ex monasterio Ottiliensi dimissus est.⁸

Etiamsi hic ibique murmurationes atque dissensiones exortae sunt, quibus quidam monachi condicionibus internis non omnino contenti erant, nihilo minus illis annis multi viri archiabbatiam Ottiliensem petiverunt, quia monasterium intrare desiderabant.⁹ Non autem est revera mirandum, quod illis temporibus perturbatis, quae post primum bellum mundanum vigeant, tot

Norbert Weber als Organisator benediktinischer Missionsarbeit. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, pp. 152 sqq. (ibidem non recte nomen indicatur Fr. Candidus Blümel).

⁷ Thomas Spreiter in diario suo die 2^o m. Sept. a. 1921^o (ASO, A.1.8.1) adnotat illo die duos Fratres ab senioratū dimissos esse, inter quos Fr. Canisius «*Propter ideas suas divulgatas, quibus Fratres omnibus Patribus omnino aequales esse deberent*» (textus originaliter Theodiscus). Subiunxit autem Thomas Spreiter Patrem quendam pro dolor eum tales cogitationes docuisse.

⁸ Fr. Canisius Romae quidem contra dimissionem suam reclamavit, sed videtur nullum effectum habuisse.

⁹ Quidam numeri ex Chronicis deprompti, quibus novitii recenter recepti indicantur, sunt hi: Chron. Ottil. m. Mart. a. 1919: 14 novitii recepti sunt; Chron. Ottil. m. Aug. a. 1919: 18 novitii recepti; Chron. Ottil. m. Oct. a. 1919: 9 novitii recepti; Chron. Ottil. m. Aug. ad m. Oct. a. 1920: mense Septembri 11 novitii recepti; Chron. Ottil. m. Ian. ad Mart. a. 1921: mense Ianuario 6 novitii recepti; Chron. Ottil. Iun./Iul. a. 1921: mense Iunio 18 novitii recepti; Chron. Ottil. m. Aug. ad Oct. a. 1921: 15 novitii recepti. Et sic porro. - Agitur autem et de futuris Fratribus conversis et de futuris clericis.

Cfr Frumentius RENNERT: Mutterabtei Sankt Ottilien und Entfaltung der Kongregation. In: Leuchter II (1992), p. 33, qui nonnullos numeros indicat, quibus monasterii extensio interna annis post primum bellum mundanum facta manifestatur. Etiam Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 143 numeros novitiorum, qui mensibus Martio et Octobri a. 1919^o recepti sunt, exhibet.

homines aliud genus vivendi quaesiverunt.¹⁰

Tamen crescente numero monachorum et etiam discipulorum seminarii abbatae quōque difficultates pecuniariae auctae sunt, quae quidem artē cohaerebant cum generali condicione oeconomicā Germaniae. Sic ex.gr. Norbertus Weber in fine anni 1920ⁱ desperatione plenus rettulit¹¹ condicionem pecuniariam archiabbatae Ottiliensis paulatim vix sustentabilem redditam esse, cum summa pecuniaria trecenta ad quadringenta milium marcarum deficeret. Timuerat autem, ne seminarium, cum esset maxime sumptuosum, esset claudendum.¹² Sed - ut putabat - hōc revera factō spes missionis futurae esset deponenda.

4.9.2. De progressibus repulsisque

4.9.2.1. De Capitulo generali praeparando

Bello mundano finito etiam alia res necessario facienda instabat, nempe Constitutiones, quae anno 1913^o exaratae et ad experimentum institutae erant,¹³ retractandae erant.¹⁴ Talis necessitas non solum exorta est ex quibusdam argumentis ipsarum Constitutionum, sed etiam ex novo Codice Iuris Canonici anno 1917^o recenter exarato,¹⁵ quo etiam postulabatur, ut Consti-

¹⁰ Etiamsi Thomas Spreiter - ut in epistolā die 21 m. Oct. a. 1923 ad Bonifatium Sauer directā (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19) scripsit - existimavit multos tantummodo propter aerumnas oeconomicas monasterium intrare velle, non puto maiorem partem illorum, qui venerant (paucis quidem exceptis), propter condiciones oeconomicas vitam monasticam desideravisse. Nam post experientias horribiles belli mundani certe multi revera alium «sensus vitae», ut ita dicam, quaesiverunt.

¹¹ *Cfr* Norberti Weber epistula die 10 m. Nov. a. 1920 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1. (Asien)).

¹² Quod denique non est factum.

¹³ *Cfr* supra cap. 4.5.1.2.

¹⁴ *Cfr* Viktor DAMMERTZ: Die Leitgedanken bei der Redaktion der Konstitutionen unserer Kongregation. In: Leuchter I (1979), pp. 362 sqq.; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, pp. 188 sq.; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 103.

¹⁵ Ius ecclesiasticum sive ius canonicum usque in initium saeculi vicesimi tantummodo exstitit ut variae collectiones decretorum papalium, quae denique inde ex saeculo sexto decimo sub titulo, qui est «Corpus Iuris Canonici», componebantur et edebantur. Leges autem ecclesiasticae recentiores in innumeros tomos variarum collectionum sive conciliorum sive congregationum cardinalium sive aliarum institutionum dispersae erant. Ecclesiae ergo deerat legum liber modernus atque uniformis. Etiamsi inter primum Concilium Vaticanum ab pluribus episcopis desiderium huiusmodi libri proferebatur, demum papa Pius X motū proprio die 19^o m. Mart. a. 1904^o exhibito, cui titulus est «*De Ecclesiae legibus in unum redigendis*», condiciones mancas nominavit et coetum

tutiones singularum Congregationum monasticarum huic Codici adaptarentur.¹⁶ Itaque Abbas Primas quoque rogaverat, ut omnes Congregationes Benedictinae in conventū praesidum tempore vernali anni 1920ⁱ instituendo Constitutiones retractatas praeberent. Cum vero Constitutiones tantummodo ab capitularibus, id est ab sodalibus ordinariis alicuius Capituli generalis decerni possent, etiam Capitulum generale Congregationis Ottiliensis praeparandum erat.

Ottiliani autem (id est archiabbas Norbertus Weber) aliquatenus retardato

specialem instituit, cui impositum erat, ut generale ius canonicum reformaret atque in codicem redigeret (ASS 26, 1904, pp. 549 sqq.: «*Arduum sane munus [...] At illustrae Ecclesiae Praesules [...] magnopere flagitarunt, ut universae Ecclesiae leges, ad haec usque tempora editae, lucido ordine digestae, in unum colligerentur [...]. Haec Nos iusta sane vota probantes ac libenter excipientes, consilium cepimus eadem in rem tandem deducendi.*» - Textus originaliter Latinus). Cui coetui quidem praeerat Statūs secretarius cardinalis Petrus Gaspari, sed etiam episcopi, professores iuris canonici atque praelati Ordinum religiosorum rogati erant, ut hac in re cooperarentur. Inter opera Pius X die 20^o m. Aug. a. 1914^o vitā functus est, sed eius successor papa Benedictus XV hos labores non deseruit et iam die 27^o m. Maii a. 1917^o idem documentum promulgationis, quod est «*Providentissima Mater Ecclesia*» (AAS 9/II, 1917, pp. 5 sqq.) subscripsit et novum Codicem Iuris Canonici die 19^o m. Maii a. 1918^o ratum fore decrevit. - Exaratio autem huius novi Codicis erat maximi momenti, cum modernos legum libros formaliter secutus clare dispositus esset et itaque succinctus esset et singuli canones sermone magis abstracto praeberentur. Ille primus Codex Iuris Canonici constitit ex quinque libris (id est 1. Normae Generales, 2. De Personis, 3. De Rebus, 4. De Processibus, 5. De Delictis et Poenis), quibus 2414 canones complectabantur. - *Cfr* ex. gr. August KNECHT: Das neue kirchliche Gesetzbuch - Codex Iuris Canonici. Seine Geschichte und Eigenart. Straßburg 1918, pp. 35 sqq.; N. HILLING: Der Codex Iuris Canonici. Düsseldorf 1928, pp. 3 sqq.; K. MÖRSDORF: s.v. Codex Iuris Canonici, *In*: Lexikon für Theologie und Kirche 2, 1958, coll. 1244 sqq.; Karl-Theodor GERINGER: s.v. Codex Iuris Canonici, *In*: Lexikon für Theologie und Kirche 2, 1994, coll. 1243 sq.

¹⁶ In Codicis Iuris Canonici (1917) can. 489 leguntur haec: «*Regulae et particulares constitutiones singularum religionum, canonibus huius Codicis non contrariae, vim suam servant; quae vero eisdem opponuntur, abrogatae sunt.*» (Textus originaliter Latinus). Inde sequitur Constitutiones Congregationum monasticarum perspiciendas et quadamtenus retractandas fuisse. Ut condicio clarior redderetur, Congregatio Religiosorum die 26^o m. Iun. a. 1918^o (AAS 10, 1918, p. 290) decretum edidit, in quo ad canonem 489 referens praeter alia leguntur haec: «*... ac proinde earum textus emendandus erit. Ne autem in re tanti momenti aliquod inconveniens oriatur, Sacra Congregatio Sodalium Religiosorum negotiis praeposita praescribit emendationes textus Regularum et Constitutionum suo esse subiciendas examini.*» (Textus originaliter Latinus). - Singula autem, quae in Constitutionibus scribendis et emendandis respicienda erant, enumerabantur in normis a Congregatione Religiosorum die 6^o m. Mart. a. 1921^o editis (AAS 13, 1921, pp. 312 sqq., imprimis pp. 317 sq.).

modo egisse videntur.¹⁷ Nam denique die 4^o m. Dec. a. 1919^o Norbertus Weber epistolam apertam circularemque divulgandam et mittendam curavit,¹⁸ quā explicuit propter praescripta ecclesiastica Constitutiones monasticas, itaque Ottilianas quōque, secundum canones novi Codicis mutandas esse, quae deinde Sedi Apostolicae proponendae essent. Singulas Congregationes Benedictinas inter conventum praesidum novas Constitutiones suas iam praebere debere. Cum autem eā de causā tempus ad Capitulum generale instituendum non sufficeret, quo Constitutiones retractarentur, hos labores commissionibus traditum iri, de quorum effectibus in Capitulo ad instar¹⁹ consultationes fierent et de totā re decerneretur, ita ut mutatio Constitutionum non differenda in tempore Romae praebere posset.

Tamen Norbertus Weber non solum modum progrediendi annuntiavit, sed in fine epistolae circularis omnes monachos professos Congregationis rogavit, ut desideria sua ad Constitutiones spectantia usque ad diem 25^{um} m. Dec. a. 1919^o archiabbati communicarent.²⁰ Illa vero sententia effectum inexpectatum atque perturbantem exseruit. Nam praeter nonnulla desideria cum ipsis Constitutionibus cohaerentia Norberto Weber tradita est petitio totius conventūs Ottiliensis, quā rogabatur, ut ad Capitula generalia praeter abbates atque Superiores regulares²¹ etiam delegati admitterentur, qui ab monachis sollemniter professis singularum abbatiarum, Vicariatuum Praefectarumque eligendī essent et qui quōque ius suffragii haberent.²² Videtur autem imprimis P. Dominicus Enshoff hoc desiderium delegatorum promovisse, cui rei tamen Subprior Chrysostomus Schmid quōque favit.²³

¹⁷ Cyrill SCHÄFER (2005), p. 103 suspicatur hanc retardationem ex condicionibus bellicis provenisse.

¹⁸ *Cfr* archiabbatis epistula circularis die 4 m. Dec. a. 1919 data (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

¹⁹ Id est Capitulum extraordinarium specialeque, quod propter quaestiones urgentes instituitur et quod solum illi capitulares participant, qui modo in Germania versantur.


²⁰ *Cfr* archiabbatis epistula circularis die 4 m. Dec. a. 1919 data (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

²¹ Id est Praefecti atque Vicarii Apostolici, qui in rebus monasticis observandis vices superioris generalis gerunt.

²² *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 103 sq.; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 147 sq.

²³ *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 103 adn. 200. - *Cfr* etiam Thomae Spreiter epistula die 9 m. Apr. a. 1920 ad Norbertum Weber directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5), quā Thomas Spreiter rettulit Patrem quendam Ottilianum (cuius nomen non

Archiabbas Norbertus Weber hac petitione valde affectus erat et eādem in perturbationes internas intrusus est.²⁴ Hac condicione ad Abbatem Primate[m] Fidelem von Stotzingen, quocum etiam amicaliter coniunctus erat, se convertit atque epistulariter totam rem ei explicuit.²⁵ Nam unā ex parte magnam



*Norbertus Weber (a dextris) unā cum Fidele[m] von Stotzingen.
[Cyrill SCHÄFER (2005), p. 125.]*

aversionem sensit, quā hōc desiderium concederet, cum secundum sententiam Norberti Weber esset contra constitutionem monarchicam Ordinis Benedictini. Praeterea numerus delegatorum in comparatione abbatum

indicavit, sed qui unus ex prioribus missionariis Africanis fuisse videtur) apud ipsum reclamavisse de spiritu in archiabbatia vigente, de adversariis archiabbatis et de rogatione, quae ad delegatos spectabat et quae ab Subprior[e] conscripta erat et quam omnes seniores, etiam P. Prior, subscripserant. - Dominicum Enshoff in hac re partes quasdam principales egisse etiam apparet ex eius epistula die 15 m. Ian. a. 1920 ad omnes Superiores Congregationis directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5), quā praeter alia expressis verbis scripsit hunc scopum sibi cordi esse et se efficere velle, ut auctoritate Superiorum servatā delegati admitterentur. Nam non studium opponendi esse causam huius rogationis, sed desiderium cooperandi in rebus maioris momenti. -

Scitū digna est etiam adnotatio Thomae Spreiter, quam in epistulā die 3 m. Iun. a. 1920 ad Norbertum Weber directā (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5) hōc in conexū fecit. Nam ibidem scripsit Dominicum Enshoff iam pridem capitularem fieri voluisse.

²⁴ Nonnulli statim dixerunt hoc postulat[um] esse apertam diffidentiam in ipsum archiabbatem.

²⁵ Cfr. Norberti Weber epistula die 22 m. Dec. a. 1919 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1. (Asien)).

praeponderantiam eorum significaret, quā de causā status abbatum atque archiabbatis eo difficilior redderetur. Itaque, si talis petitio ad effectum adduceretur, toti Congregationi esset nociva. Nam si ipsi omnes mutationes temporis sequerentur, statum Benedictinum amitterent.²⁶ Sed alterā ex parte Norbertus Weber etiam conventui suo opponere noluit, cum tales dissensiones non sustineret neque se virum pugnacem esse. Significans autem est archiabbatem confiteri se talibus condicionibus et physice et psychice aegrotare.

Sed sequela huius discriptionis atque harum deliberationum insuper maior erat. Nam his condicionibus adductus, quae quasi causa externa ei erant, Norbertus Weber Abbati Primati dixit se munere suo abdicare velle. Talem vero cogitationem - ut scripsit - iam pridem habuit, cum iam diutius sensisset sibi vires ad tam magnam Congregationem ducendam deesse et virum alius indolis hac in re plura efficere valere. Putavit autem se muneris abdicatione spiritui Ordinis atque saluti communitatis magis servire posse quam si in loco maneret, qui supra vires suas esset.

Mirum autem in modum Norbertus Weber die insequenti, id est die 23^o m. Dec. a. 1919^o, alteram epistolam ad Abbatem Primatem direxit, quā voluntatem suam affirmavit atque confirmavit.²⁷ Argumenta sua quadamtenus iterans difficultates suas pugnandi denuo explicuit, cum in dissensionibus denique cedere soleret.²⁸ Tamen hōc ipsi rei nocere. Praesertim quaestione tunc solvendā, nempe quaestione, num delegati ad Capitula generalia essent admittendi, putavit talem indolem suam non pugnacem effectum perniciosum habere, cum sibi persuasum esset delegatos ad Capitula generalia admissos et Congregationem et etiam missionem ab fundamento Benedictino eo magis abducere et abalienare quam interea iam abductas esse.

Explicationibus autem utriusque epistolae Norbertus Weber id studuit, ut indoles sua intellexeretur. Nam dispositione eius internā - ut ipse perspectum habuit - iterum iterumque problemata quaedam exorta sunt, quia impetibus fortioribus resistere non valuit et hunc in modum ea, quae Congregationi salubria atque necessaria esse existimavit, non semper sive servare sive ad effectum adducere potuit. Itaque muneris abdicatione ei revera de Con-

²⁶ Subiunxit autem se proditorem fieri nolle et se munus suum ita tradere velle ut accepisset.

²⁷ *Cfr.* Norberti Weber epistula die 23 m. Dec. a. 1919 ad Fidelem vob Stotzingen directa (ASO, Z.1. (Asien)).

²⁸ Expressis verbis hic imprimis refert ad dissensiones, quas cum Thoma Spreiter iterum iterumque habuit. - Hanc condicionem mutatum non iri decursū eventuum videbimus.

gregationis salute, quam ipse viderat, agebatur. Scitū autem dignae sunt sententiae, quas archiabbas in fine alterius epistulae protulit. Nam scripsit se muneris abdicatione Patribus suis documentum altruismi submissi praebere velle, cum talis actus maximum effectum haberet et eodem nonnulli ad deliberandum adducerentur. Quaedam tristitia ex his verbis elucet, quia ipsius cura, quā cohaerentia genuine Benedictina totius rei ei cordi erat, ab quibusdam non intellegebatur.

Norbertus Weber illo tempore desiderium suum, quo munere se abdicare voluit, tantummodo Abbati Primati communicaverat eius consilia expectans. Sed Fidelis von Stotzingen resignationem archiabbatis repudiavit.²⁹ Itaque archiabbas munere fungi et officia sua explere perrexit, praesertim quia interea depressionem suam saltem partim superavisse videtur.³⁰ Tamen adhuc putavit alium hōc munus meliore effectū explere posse. Sed etiam clare vidit et dixit facilius fuisse illo tempore suā sponte munus deponere, quam si quando ad talem actum coactus esset. Qualis providentia!

Interea autem praeparatio Capituli generalis continuabatur et quaestio delegatorum promovebatur. Tamen res non ita faciles erant. Nam unā ex parte, cum ageretur de delegatis, archiabbas aliquid instituere coactus est, quod ipse revera noluit. In dilemmate ergo quodam versabatur. Hōc dilemma idem solvere conatus est stipulationibus,³¹ quas appellavit et quarum textum ad

²⁹ Hōc idem fecit litteris die 10^o m. Ian. a. 1920^o datis, ut apparet ex epistulā responsoria Norberti Weber die 22^o m. Ian. a. 1920^o ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1. (Asien)). Ipsa epistula Abbatis Primatis videtur non iam exstare (*cf.* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 105 adn. 203), quā de causā eius singula argumenta nescimus, quamvis ipsa rebrobatio resignationis constet.

³⁰ *Cfr.* Norberti Weber epistula die 22 m. Ian. a. 1920 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1. (Asien)): «*volo in ipso (i.e. in Deo) quietem meam quaerere, quam magnā ex parte revera iam iterum inveni.*» - Textus originaliter Theodiscus.

³¹ Norbert WEBER: «Deputierte zum Generalkapitel» (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5). - Adnotandum est illum textum compositum esse, postquam Abbas Primas muneris abdicationem archiabbatis repudiavit.

Ceterum etiam Dominicus Enshoff textum composuerat distribuendum, qui Latine scriptus atque die 20^o m. Ian. a. 1920^o signatus erat, quo de delegatis agitur (*cf.* Dominicus ENSHOFF: «Proponuntur paragraphi de Capitulo generali» (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5)). Ut ex titulo apparet, auctor putaverat illum textum denique in Constitutiones inserendum esse. Secundum Dominicum Enshoff delegati in Capitulo generali sine dubio votum decretorium habent et eorum numerus par est capitularium (p. 1, §§ 2 et 6). Elegi autem potest unusquisque monachus «sollemniter professus in sacris constitutus», qui saltem ex decem annis professus est et tempore electionis in Germania

omnes capitulares misit eos rogans, ut eisdem assentirentur.³² Illo in textū Norbertus Weber statim in initio affirmavit se desiderium conventuum, quo in Capitulo generali de Constitutionibus acturo repraesentari vellent, esse iustificatum intellegere, cum sodales Congregationis in Constitutiones approbandas vota sua protulissent.³³ Tamen difficultates vidit in modo progrediendi. Ipsum - ut scripsit - nihil habere contra delegatos in illo Capitulo generali, quod propter Constitutiones retractandas instaret, sed solum per exceptionem et hōc in casū. Sed ex causis iuridicis hanc participationem modo proposito fieri non posse. Insuper et Abbatem Primatem et Congregationem Religiosorum contra tale postulatam esse.³⁴ Propositum autem archiabbatis ad quaestionem in praesenti solvendam est hōc: Cum secundum Constitutiones capitularibus liceret secretarios cum voto consultatorio sibi eligere et accire, ipse paratus est hōc ius conventui suo tradere et illum monachum ab conventū electum ut secretarium, qui votum consultatorium habet, accipere. Et rogavit ceteros capitulares, ut similiter facerent.³⁵ Num

versatur (p. 1, § 4). Praeterea auctor singillatim explicuit modum eligendi, modum, quo in Capitulo generali suffragia feruntur, et modum, quo Capitulo finito de eius effectu refertur. - Textus quattuor paginarum machinā scriptoriā exaratus est satis intricatus et interdum difficulter intellegitur (quod etiam cum qualitate Latinitatis cohaeret). Episcopus Thomas Spreiter diiudicavit proposita Dominici Enshoff esse aliquid omnino novum in Ordine Benedictino et quidem aliquid satis magnum et monuit, ne hac in re nimis praecipitanter ageretur et ne casus exemplaris gigneretur (*cf.* Thomae Spreiter epistula die 18 m. Mart. a. 1920 ad Norbertum Weber directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5)).

³² Sic ex. gr. in epistulā Norberti Weber die 30 m. Ian. a. 1920 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

³³ Mihi videtur hōc argumentum in se non omnino logicum, quia monachi vota protulerant in Constitutiones, quae iam exstabant, ab Congregatione ad experimentum acceptae erant et solum Romae nondum approbatae erant.

³⁴ *Cf.* Norbert WEBER: «Deputierte zum Generalkapitel», p. 2, § 6 (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

³⁵ *Cf.* Norbert WEBER: «Deputierte zum Generalkapitel», p. 3, § 7 a (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5). - Difficultas quaedam exoritur paragrapho 7 b. Nam īdem consultationibus conventūs diebus 29^o et 30^o m. Ian. a. 1920^o habitis mutatus est. In textūs parte originali agebatur de modo, quo in Capitulo generali de thematis decernendum esset. Proposuerat autem archiabbas, ut omnia puncta in Constitutiones assumerentur, quae et delegati et capitulares assumi vellent. Maior pars utriusque coetūs, id est capitularium et delegatorum, qui votum consultatorium habent, decerneret, num punctum propositum susciperetur. Itaque archiabbati adhuc solum de voto consultatorio delegatorum agebatur. Aliter in novo paragrapho 7 b textui subiuncto (*cf.* Norbert WEBER: «Deputierte zum Generalkapitel», p. 7, § 7 b 2 (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5)). Ibīdem in inciso secundo leguntur haec: «*Delegato sic instituto est votum consultatorium.*

revera delegati conventuum in novas Constitutiones insererentur, denique de ipso Capitulo generali sic composito et de existimatione Vaticanā dependere. Nihilominus Norbertus Weber etiam hōc in conexū sententiam suam aperte protulit, quā de delegatis eligendis serio et graviter dubitavit et hōc quidem sub aspectū Benedictino,³⁶ sub aspectū iuridico, sub aspectū missionis, sub generali aspectū pratico. Conclusionem, quam traxit, scripsit necessarium esse, ut provideretur, ut tantummodo unā cum singulis conventibus Congregationis aliquid in Constitutionibus mutaretur vel adderetur, quā de causā solum cooperatione inter Capitulum generale atque singulos conventūs monasteriorum talia fierent.³⁷ Hōc propositum ultimum videtur esse via intermedia, quibus omnes assentiri potuissent, quibus revera solum Constitutiones cordi erant.³⁸

Tamen etiam terminus futuri Capituli generalis non ubique maximo cum gaudio recipiebatur. Interea enim constitutum erat Capitulum generale die 20^o m. Apr. a. 1920^o incohatum iri. Sed imprimis Superioribus missionum, id est episcopo Thomae Spreiter et abbati Bonifatio Sauer, hōc non ita placuit. Non autem est mirandum, cum spatium temporis inter annuntiationem et ipsum initium satis angustum esset et Superiores missionum praeter

Capitulares autem illa vota unā cum suis prolata etiam ut decretoria percipiunt, ita ut omnia vota insimul numerentur. Simplici maiori parte votorum decernitur, utrum rogatio quaedam in Constitutiones recipiatur an repudietur. Si aequus numerus votorum valet, votum praesidis discrimen dat.» - Textus originaliter Theodiscus. - Hic ergo agitur de votis decretoriis delegatorum. Tamen in ipso textu aliquid non quadrat (ut statim in legendo animadvertitur), cum sit in se contradictorius neque clare intellegatur. Nam delegato aut est votum consultatorium aut decretorium neque votum consultatorium insimul ut votum decretorium accipi potest. - Eandem difficultatem atque contradictionem etiam percepit Thomas Spreiter (*cfr* eius epistula die 18 m. Mart. a. 1920 ad Norbertum Weber directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

³⁶ Norbertus Weber putavit postulatum delegatorum esse magnam diffidentiam erga abbates, cum abbas ab monachis electus hunc in modum munus accepisset, quo totam communitatem repraesentaret. Eidem alterum repraesentantem adiungere esse signum discordiae et fidei affectae. - *Cfr* Norbert WEBER: «Deputierte zum Generalkapitel», p. 4, § 8 a (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5). Itaque eandem opinionem de hac re habuit ac nonnulli alii, qui desiderium delegatorum esse diffidentiam in ipsum archiabbatem putaverunt.

³⁷ *Cfr* Norbert WEBER: «Deputierte zum Generalkapitel», p. 5, § 9 (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

³⁸ Thomas Spreiter his stipulationibus assensus quidem est, nihilominus dubitationes generales, quod attinet ad delegatos, habuit. - *Cfr* eius epistula die 18 m. Mart. a. 1920 ad Norbertum Weber directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

labores proprios etiam longa itinera respicere debuerunt. Itaque uterque putavit se Capitulum participare non valere.³⁹

Sed alia quōque difficultas sentiebatur. Nam imprimis episcopus Thomas Spreiter iterum iterumque questus est de festinatione, quā Capitulum generale institueretur et quā itaque Constitutiones retractarentur. Talem festinationem omnino non esse necessariam et insuper a malo existimavit et saepius explicuit.⁴⁰ Certe hac in re Thomas Spreiter non falso monuit.

4.9.2.2. De Constitutionibus recenter exaratis mutatisque

Sicuti Norbertus Weber epistolā circulari iam annuntiaverat, coetūs instituebantur, qui Constitutiones anni 1913ⁱ retractarent et hunc in modum textum praepararent, de quo inter Capitulum generale consultationes fierent. Unus ex sodalibus horum parvorum gregum erat P. Dominicus Enshoff, qui tamen partes principales egisse videtur.⁴¹ Sed etiam huic modo progrediendi non omnes assentiebantur. Sic Thomas Spreiter,⁴² cuius opinionem ex eius commercio epistulari satis amplo bene novimus, existimavit Constitutiones

³⁹ Condicio Thomae Spreiter insuper specialis atque difficilis erat. Nam in urbe Daressalam sedebat quasi inclusus et officiale mandatum Anglorum exspectabat, quo ei regionem relinquendum esse iuebatur (*cf.* supra cap. 4.8.2.1.1.). Tamen suā sponte avehi noluerat, quia ei erat quaestio officii usque ad finem manere et «navem submergentem» ultimus relinquere. - *Cfr.* Thomae Spreiter epistula die 27 m. Febr. a. 1920 ad Norbertum Weber directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

⁴⁰ *Cfr.* ex. gr. Thomae Spreiter epistolae die 27 m. Febr. a. 1920, die 3 m. Iun. a. 1920 ad Norbertum Weber directae (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5); Thomae Spreiter epistolae die 20 m. Febr. a. 1920, die 30 m. Mart. a. 1920, die 10 m. Iun. a. 1920 ad Bonifatium Sauer directae (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19).

⁴¹ *Cfr.* ex. gr. Chron. Ottil. m. Apr. ad m. Iun. a. 1920; epistula Thomae Spreiter die 3 m. Iun. a. 1920 ad Norbertum Weber directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5); se esse cooperatorem horum coetuum P. Dominicus Enshoff in initio epistolae die 15 m. Ian. a. 1920 ad Superiores Congregationis directae (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5) ipse scripserat. - Quis cooperatores coetuum elegerit, mihi non innotuit. Tamen aliquatenus dubito, an Norbertus Weber Dominicum Enshoff in illis gregibus praeparatoriis libenter viderit, cum idem illud postulatum delegatorum, quod archiabbas omnino non aestimavit, valde promovisset.

⁴² Tamen Thomas Spreiter propositum constructivum habuit dicens melius esse loco Capituli generalis conventum delegatorum convocare, qui omnes in illo conventu votum decretorium haberent. In ipso Capitulo generali atque Romae denique de rebus definitive decerni. - *Cfr.* epistula Thomae Spreiter die 19 m. Mart. a. 1920 ad Norbertum Weber directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5); eiusdem epistula die 30 m. Mart. a. 1920 ad Bonifatium Sauer directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19).

in consultationibus virorum responsalium esse tractandas, non ab coetibus praeparandas,⁴³ insuper ad tales labores exanclandos necessarios esse viros aetate atque experiētiā maturos, cum quidam cooperatores coetuum essent nimis iuvenes.⁴⁴ Generaliter vero retractationem Constitutionum magno spatio temporis indigere putavit, cum deliberanter atque parvis gressibus progrediendum esset.⁴⁵ Sed etiam Bonifatius Sauer timuit, ne cooperatores coetuum labores tertii Capituli generalis anni 1913ⁱ irritum facerent. Cum Romae Constitutiones adaptatae postularentur, secundum eius sententiam sufficeret in Capitulo speciali tantummodo illas partes mutare, quae novo Iuri Canonico contradicerent.⁴⁶

Hi timores non erant sine causā. Nam cooperatores coetuum Constitutiones anni 1913ⁱ radicitus mutaverunt et textum omnino alium exaraverunt.⁴⁷ Etiam si illi coetūs maiorem partem laborum exanclavisse videntur, tamen archiabbas interdum cum abbate Placido Vogel et abbate Coelestino Maier convēnit, ut cum eisdem de quibusdam quaestionibus Constitutionum consultationes iniret.⁴⁸

Qualem scopum generalem illa nova exaratio Constitutionum haberet, archiabbas Norbertus Weber epistolā circulari, quam in initio mensis Martii a. 1920ⁱ unā cum primā parte recentissimarum Constitutionum misit,⁴⁹ expli-

⁴³ *Cfr* Thomae Spreiter epistula die 4 m. Mart. a. 1920 ad Norbertum Weber directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5). - *Ibidem* etiam questus est aliquem in coetuum Constitutionum receptum esse, qui non esset aptus. Tamen nomen non indicavit.

⁴⁴ *Cfr* Thomae Spreiter epistula die 3 m. Iun. a. 1920 ad Norbertum Weber directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5). - Subiunxit autem quosdam Patres, qui Dominicum Enshoff adiuverant, nondum triginta annos habere et P.ri Dominico resistere non valere.

⁴⁵ *Cfr* Thomae Spreiter epistula die 3 m. Iun. a. 1920 ad Norbertum Weber directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

⁴⁶ *Cfr* Bonifatii Sauer epistula die 5 m. Febr. a. 1920 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19).

⁴⁷ De hōc textū eiusque problematis *cfr* Viktor DAMMERTZ: Leitgedanken. *In*: Leuchter I (21979), pp. 362 sq.; Godfrey SIEBER (1992), pp. 188 sq.; Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 105 sq.; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 149 sq.

⁴⁸ *Cfr* ex. gr. Norberti Weber epistula die 6 m. Ian. a. 1920 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1. (Asien)), ubi talis consultatio commemoratur.

⁴⁹ Rogati sunt monachi professi, ut paginis perlectis ea, quae adnotanda esse putaverunt, ante initium Capituli generalis renuntiarent. - Cogitatio quidem erat bona, sed fortasse difficultates atque retardationes cursūs publici, imprimis cum ageretur de regionibus

cuit.⁵⁰ Primo dispositionem generalem, nempe in declarationes et statuta, et quid haec sibi vellet, breviter exposuit. Deinde sententiae ad totum inceptum spectantes sequebantur, quibus novam formam illustrare conatus est. Nam Constitutiones esse leges scriptas explanavit, quā de causā earum sermo



*Archiabbas Norbertus Weber (in medio)
unā cum abbate Placido Vogel (a sinistris) et abbate Coelestino Maier (a dextris).
[Cyrill SCHÄFER (2005), p. 99.]*

brevis clarusque esse deberet et itaque omnia ascetica, monitoria atque historica amovenda fuissent. Ea, quae in ipsa Regula Sancti Benedicti invenirentur, aliis verbis non esse iteranda. Hunc in modum multa alium quidem aspectum accipere, etiamsi argumenta fundarentur rebus iam exstantibus. Constitutionum autem libro legum, qui totum in orbem terrarum mitteretur, certas normas esse statuendas, sed eisdem non nimias res singulas continere debere. Magni autem momenti in operibus coetuum fuisse novum Codicem Iuris Canonici, ut eiusdem leges, quae in totā ecclesiā catholicā valerent, etiam in Constitutionibus Ottilianis ad effectum adducerentur.

Quod attinet ad formam externam propositus textus Constitutionum hoc programma partim sequitur. Nam revera vix quicquam asceticum atque monitorium invenitur atque momentum Codicis Iuris Canonici et argumentis et magnā copiā canonum allatorum bene animadvertitur. Tamen etiam pluri-

missionariis, non ita respiciebantur.

⁵⁰ *Cfr* «Begleitschreiben zu der ersten Sendung des Entwurfs unserer Konstitutionen» (ASO, K.3.1).

mi loci exhibentur, quibus minora praecepta singillatim explicata praebentur.⁵¹

Sed magni momenti erant mutationes fundamentales.⁵² Imprimis commemorandum est munera archiabbatis et Superioris generalis Congregationis, quae traditionaliter unione personali cohaerebant, tunc seiuncta esse, id quod Norbertus Weber iam pridem desideraverat.⁵³ Tamen ex hac condicione aliae quoque sequelae exortae sunt. Nam Superiori generali sive abbati generali - ut eum sic appellemus - magnae potestates traditae sunt, ita ut Congregatio similis facta esset societati missionariae, quae centrum directorium habet.⁵⁴ Praesertim abbati generali omnes opes totius Congregationis custodire licuit, quo in conexu singuli Superiores (et in patriā et in missione agentes) bis in anno relationem pecuniariam mittere obligati erant, quae ab abbate generali comprobandae erat.⁵⁵ Hoc statutum videtur contra Benedictinum principium familiare et contra autonomiam singularum abbatiarum sive Vicariatuum

⁵¹ Sic textum etiam diiudicat Viktor DAMMERTZ: Leitgedanken. In: Leuchter I (1979), p. 363.

⁵² De his rebus cfr. Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 105 sq.; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 150.

⁵³ Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 105 sq. adn. 207 hōc in conexū recte adnotabat illo loco Constitutionum non bene provisum esse de titulis, quā de causā perturbationes exspectandae fuissent. Nam secundum textum Constitutionum Superior generalis appellandus erat «archiabbas». Sed hic titulus coniunctus erat cum ipsā archiabbatiā Ottiliensi, quā de causā in futurum duo archiabbates in Congregatione essent, nempe Superior generalis et abbas Ottiliensis.

⁵⁴ Hōc in conexū commemorandum quōque est breve scriptum Norberti Weber, cui titulus est «*De destinato Congregationis nostrae*» («*Die Aufgabe unserer Congregation*») (ASO, K.3.1). Ibīdem enim statim in initio legitur scopum Congregationis esse missionem paganorum (1.) et singula monasteria licentiā abbatis generalis acquisitā unumquodque munus suscipere posse, quod scopo Congregationis immediate vel modis propinquis prosit (2.). Exclusa manere Congregationi omnia illa munera, quae cum missione paganorum et cum curā animarum regionum recenter ad Christianitatem conversarum nullo modo cohaereant (3.). Praeterea plura enumerantur, ad quae licentia abbatis generalis necessaria sunt. - Eodem sensū P. Michael Heinlein anno 1921^o de scopo Constitutionum anni 1920ⁱ ad Abbatem Primatem scripsit, cuius verba Cyrill SCHÄFER (2005), p. 106 adn. 208 affert.

⁵⁵ Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 150 certe recte suspicatur haec omnia in Constitutionibus praescripta esse, quia archiabbas in operibus methodisque missionariis auctoritatem suam atque potestatem directoriam servare semper studuit, id quod antea realiter ei non ita contigerat.

esse.⁵⁶ Praeterea de condicionibus missionariis constituebatur in regione missionariā abbatiam centalem esse condendam, a quā dependerent stationes missionariae ut «cellae», in quibus - ut praecogitatum erat - minimum duos sacerdotes et unum Fratrem laicum operari deberent. Quā in re tamen difficultates praevideri potuerunt, quod attinet ad indigentiam personarum.⁵⁷ Sed talis structura, imprimis cum ageretur de abbatibus condendis, Norberto Weber secundum ipsius perceptionem missionariam Benedictinam in votis erat. Sed aliud postulatum praeterea insertum est, quod quōque archiabbati cordi erat. Nam agebatur de speciali eruditione illorum monachorum, qui in missionem mitterentur. Nam iidem sic instrui et erudiri debent, ut illum alium cultum civilem, ad quem perveniunt et in quo operaturi sunt, bene intellegant, cum mores, consuetudines institutionesque alterius populi delere omnino non liceret.⁵⁸

Due autem res in Constitutionibus retractandis, quod attinet ad modum progrediendi, mihi mirae esse videntur. Nam unā ex parte in Constitutionibus anni 1913ⁱ exarandis normae Congregationis Episcoporum et Regularium anno 1901^o exhibitae, quibus de forma sobria talium statutorum agebatur, iam respiciebantur.⁵⁹ Alterā ex parte iam mense Martio a. 1919ⁱ Abbas Primas Fidelis von Stotzingen commentationem exaraverat,⁶⁰ quā Constitutiones Ottilienses anni 1913ⁱ ipse retractavit iam novum Codicem Iuris Canonici respiciens (ut etiam expressis verbis scripsit).⁶¹ Abbas Primas iam proposuerat in Constitutionibus distinguendum esse inter declarationes, quibus, cum Regulam Sancti Benedicti sequerentur, omnia continebantur, quae ad monasterium quoddam regendum necessaria sunt, et statuta, quibus ea continebantur, quibus ad Congregationem praeordinandam ducendamque

⁵⁶ *Cfr.* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 106; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. *In:* Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 150.

⁵⁷ Sic condicionem etiam diiudicat Cyrill SCHÄFER (2005), p. 106.

⁵⁸ *Cfr.* Capitulum generale quartum, decretum quintum (ASO, K.3.1); Godfrey SIEBER (1992), p. 147; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. *In:* Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 151.

⁵⁹ *Cfr.* supra cap. 4.5.1.2.

⁶⁰ *Cfr.* Fidelis von STOTZINGEN: Statuten der Benediktiner-Kongregation von St. Ottilien (Entwurf) (21.3.1919) (ASO, K.1.1).

⁶¹ Fidelis von Stotzingen novum Codicem Iuris Canonici bene novit, quia in illa parte, qua agitur de religiosis, cooperatus est. - *Cfr.* Burkhard NEUNHEUSER: Abt Fidelis von Stotzingen. *In:* Liturgie und Mönchtum 2, 1948, p. 62; Cuthbert BUTLER: Benedictine Monachism. Studies in Benedictine Life and Rule. Cambridge / New York ²1924, p. 409.

opus est. Hunc laborem Abbas Primas susceperat, ut sub eius fundamento necessaria compleri possent⁶² et exaratio definitiva facilitaretur. Utraque autem res in Constitutionibus anni 1920ⁱ componendis maximā ex parte neglegebatur.

4.9.2.3. De quarto Capitulo generali anni 1920ⁱ deque existimatione Constitutionum

His laboribus praevis factis die 20^o m. Apr. a. 1920^o, uti constitutum erat, quartum Capitulum generale incohabatur locum habens in archiabbatia Ottiliensi. Participaverunt capitulares⁶³ Norbertus Weber archiabbas, Placidus Vogel abbas Suarzacensis, Coelestinus Maier abbas Swickersperchiensis, P. Villibrordus Lay Praefectus Apostolicus Lindiensis.⁶⁴ Abbas Bonifatius Sauer ex Coreā venire non potuit, sed vicegerentem instituerat P. rem Chrysostomum Schmid. Similiter episcopus Thomas Spreiter adesse non valuit et vicegerentem suum nominaverat P. rem Severinum Hofbauer. Praeterea hoc Capitulum generale participaverunt delegati singulorum conventuum, nempe P. Laurentius Kilger pro archiabbatia Ottiliensi, P. Maurus Galm ut delegatus abbatiae Suarzacensis, P. Dionysius pro abbazia Swickerspechiensi, P. Michael Heinlein ut delegatus Vicariatūs Daresalamensis, P. Benno Heckel ut delegatus Praefecturae Lindiensis, P. Paulus Sauter pro abbazia Seulensi.⁶⁵

In singulis sessionibus Capituli generalis⁶⁶ de Constitutionum textū praeparato consultationes instituebantur. Paucae solum res minimae mutabantur et denique totus textus maioritate suffragiorum acceptus est.⁶⁷ Verisimiliter

⁶² Imprimis de rebus missionariis hoc dixit, quarum experientia propria ipsi deesset. - *Cfr* Fidelis von STOTZINGEN: Statuten (1919), p. 1 (ASO, K.3.1).

⁶³ *Cfr* Chron. Ottil. m. Apr. a. 1920; excerpta ex Annalibus Ottil. (ASO, K.3.1); Godfrey SIEBER (1992), p. 156.

⁶⁴ P. Villibrordus Lay, cum esset Germanus, ex Praefectura iam eiectus erat et eā de causā in patriā versabatur. Cum ipse in Africam reverti non posset, solum ex titulo adhuc Praefectus Apostolicus erat (quia officialiter ab munere se nondum abdicaverat).

⁶⁵ *Cfr* Chron. Ottil. m. Apr. ad Iun. a. 1920; excerpta ex Annalibus Ottil. (ASO, K.3.1). - Cum sint in summa duodecim participes, paulum mirandum est, quod Godfrey SIEBER (1992), p. 156 solum de decem participibus loquitur, ex quibus quinque ius suffragii habuerint (quattuor nomina capitularium indicat).

⁶⁶ Dicuntur triginta tres sessiones fuisse.

⁶⁷ *Cfr* Viktor DAMMERTZ: Leitgedanken. *In*: Leuchter I (1979), p. 363; Godfrey SIEBER (1992), p. 157; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 150.

maiores difficultates non sunt exortae, quia abbas Bonifatius Sauer et episcopus Thomas Spreiter non aderant. Iam ante finem Capituli generalis archiabbati Norberto Weber proficiscendum erat, cum conventum praesidum Romae participaturus esset. Eius vices per tres dies gessit P. Cyrillus Wehrmeister, antequam die 6^o m. Maii a. 1920^o decretis praelectis abbas Placidus Vogel Capitulum generale concludebat.⁶⁸

Otiliani putabant se tunc textum Constitutionum habere, qui Romae facile atque celeriter approbationem accepturus esset. Tamen res aliter ac expectatae evēnerunt. Ipse grex monachorum inter se quadamtenus discerptus erat in novis Constitutionibus aestimandis. Sed adnotationes maxime criticae usque ad repudiationem totius rei ex regionibus missionariis vērunt. Sic abbas Bonifatius Sauer Seulensis nonnulla reprehendenda habuit:⁶⁹ imprimis disiunctio munerum in archiabbatem Otiliensem et abbatem generalem Congregationis ei prorsus displicuit, cum putaret eandem Congregationi non fore prosperam.⁷⁰ Praeterea se convertit contra nimium centralismum et ei displicuit abbates in regionibus missionariis operantes non ipsos in abbate generali eligendo participare posse. Et sic porro.

Episcopum Thomam Spreiter illas Constitutiones et totum modum progrediendi reprobavisse iam notum est. Generaliter monendum habet in novis Constitutionibus, quae novo Iuri Canonico adaptandae erant, paene omnia mutata esse.⁷¹ Specialiter ei displicuit nimia potestas, quae abbati generali attribuebatur, quā condicione vis autocratica regimini Congregationis inserebatur. Tali centralismo omnia nimis lenta neque satis flexibilia redderentur.

⁶⁸ Cfr. Chron. Otil. m. Apr. ad m. Iun. a. 1920; excerpta ex Annalibus Otil. (ASO, K.3.1).

⁶⁹ Cfr. Bonifatii Sauer epistula die 7 m. Aug. a. 1920 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19). - Illā in epistolā idem scripsit textum definitivum non esse tam malum quam textum provisorium. Tamen non esse «causam gaudendi», sicuti Placidus Vogel putaret. Est sententia adhuc satis modesta, sed mirum in modum Bonifatius Sauer in epistolā die 28 m. Oct. a. 1920 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASO, Z.1 (Asien)) confessus est sibi magnas curas fuisse, cum novas Constitutiones accepisset. Si eadem Romae approbatae essent, se omnino ab munere suo abbatis abdicare debuisset.

⁷⁰ Existimavit «*novum archiabbatem sine regimine (i.e. abbatem generalem) esse sicut avum in domuncula senectutis*» («wie ein Großvater im Austragshäusl»).

⁷¹ Cfr. ex. gr. Thomae Spreiter epistulae diebus 3 m. Iun. a. 1920 et 18 m. Iun. a. 1920 ad Norbertum Weber directae (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5); eiusdem epistula die 10 m. Iun. a. 1920 ad Bonifatium Sauer directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19); eiusdem epistula die 14 m. Oct. a. 1920 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1 (Asien)).

Praeceptis statutisque missioni possibilitates facultatesque agendi demi atque cottidianas quaestiones practicas missionis non respici. Etiam ipsa disiunctio munerum ei - sicuti Bonifatio Sauer - displicuit. Insuper res pecuniarias modo nimis intricato esse ordinatas. Plura autem singillatim habuit critice adnotanda. Secundum sententiam Thomae Spreiter Constitutiones denuo tractandae atque conscribendae erant ab viris experientiā praeditis, et hōc quidem tranquille et diligenter et profundis studiis praevis factis.

Ceterum Thomas Spreiter putavit melius fuisse, si Constitutiones anni 1913ⁱ statim Romam ad eas approbandas missae essent, id quod Norbertum Weber non fecisse ei vehementer opprobrio dedit.⁷² Nam secundum eius opinionem difficultates, quae novis Constitutionibus exaratis exstarent, hunc in modum vitari potuissent.

Hae dissensiones internae non ita iucundae erant, sed tota res in irritum cecidit, quia Abbas Primas quōque vere critice de illis Constitutionibus egit.⁷³ Existimatione scriptā idem adnotationes suas de formā, argumentis

⁷² *Cfr.* Thomae Spreiter epistula die 3 m. Iun. a. 1920 ad Norbertum Weber directa, ubi hanc rem solum commemorat. Sed videtur postea in hoc thema instituisse, quia epistolā die 6 m. Aug. a. 1921 ad Thomam Spreiter directā Norbertus Weber respondit duobus Capitulis generalibus (i.e. annis 1906^o et 1913^o habitis) nullo modo desiderium prolatum esse, quo Constitutiones ad approbationem Romam essent mittendae. Ergo responsalitem huius «omissionis» esse in Capitulis generalibus. Sed hōc responso Thomas Spreiter omnino non erat contentus, e contrario eo vehementius in archiabbatem invectus est. Nam epistolā die 11 m. Aug. a. 1921 ad Norbertum Weber directa idem scripsit non solum semet ipsum bene recordari in Capitulo generali anni 1913ⁱ de Constitutionibus Romae exhibendis sermonem fuisse, sed etiam P.rem Subpriorem (i.e. Chrysostomum Schmid), qui illo tempore secretarius Capituli fuisset et quem interrogavisset, affirmavisse archiabbati hoc mandatum esse. Nonnullis aliis «explicationibus» prolatis Thomas Spreiter denique in opprobrium erupit dicens se quasi percussum fuisse memoriae imbecillitate archiabbatis, quae, cum idem statum maximae responsalitatis haberet, iam ad maximas difficultates duxisset, sicuti hōc factō monstraretur. [Omnes hae epistulae ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.1.0.5].

Tamen Norbertus Weber recte dixerat, ut ex protocollo Capituli generalis anni 1913ⁱ manifestatur. Nam ibidem legitur constitutum esse Constitutiones nondum Romam esse mittendas, sed primo probationis causā usque ad proximum Capitulum generale adhibendas esse (*cfr.* Protokoll GK 1913, 4. Sitzung (9.8.1913), p. 10 (ASO, K.3.1). - *Cfr.* supra cap. 4.5.1.2.). Itaque memoria et Thomam Spreiter et Chrysostomum Schmid fefellit. Tamen revera protocollum inspicere nemini illorum in mentem vēnit.

⁷³ De sententia Abbatis Primatis *cfr.* etiam Viktor DAMMERTZ: Leitgedanken. In: Leuchter I (21979), p. 363; Godfrey SIEBER (1992), p. 189; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 108.

spiritūque illius textūs exhibuit.⁷⁴ Quod attinet ad formam, imprimis reprehendit textum non esse uniformem, sed potius collectionem sententiarum dictorumque et exactius inter statuta atque declarationes esse distinguendum. Ceterum plurimis locis textum videri esse excerptum Codicis Iuris Canonici, id quod non esset scopus talium statutorum.⁷⁵ Quod attinet ad argumenta, praesertim doluit omnes deliberationes asceticas esse amotas, quo modo nihil relinqueretur nisi littera mortua. Talia non licere in alios libros transferre, quia tunc Regula Sancti Benedicti vim legis amitteret. Multa autem praecepta nimis minutatim et modo nimis angusto exarata esse.⁷⁶ Quod attinet ad spiritum Constitutionum Abbas Primas omnino non erat contentus.⁷⁷ Nam secundum eius sententiam indigentiae missionis nimis respiciebantur sumptibus vitae monasticae.⁷⁸ Momentum, quod abbati atque Regulae Sancti Benedicti attribuendum esset, nimis restrictum esse existimavit. Putavit praeterea abbatem diffidentiā tractari atque cautelis parlamentariis circumdari, id quod omnino non esset Benedictinum.⁷⁹ Plurimum vero Abbati Primati displicuit status Praesidis cum ipsis consiliariis. Hunc esse centralismum et «*sepulcrum autonomiae Benedictinis fundamentalis atque magni momenti*» iudicavit.⁸⁰

Illā existimatione Abbatis Primatis satis manifestum erat eum approbationem illarum Constitutionum apud Sanctam Sedem non esse commendaturum.⁸¹ Etiam si Norbertus Weber colloquiis Romae habitis sententiam Abbatis Primatis mutare conatus est, Fidelis von Stotzingen tamen postulare insistebat, ut Constitutiones retractarentur.

⁷⁴ Cfr Fidelis von STOTZINGEN: Bemerkungen zum neuen Entwurf der Konstitutionen (28.7.1920) (ASO, A.2.2.1).

⁷⁵ Cfr Fidelis von STOTZINGEN: Bemerkungen (28.7.1920), p. 1 (ASO, A.2.2.1). - Ceterum putavit etiam Latinitatem textūs esse retractandam et terminos iuridicos non satis claros esse.

⁷⁶ Cfr Fidelis von STOTZINGEN: Bemerkungen (28.7.1920), pp. 1 sq. (ASO, A.2.2.1).

⁷⁷ Cfr Fidelis von STOTZINGEN: Bemerkungen (28.7.1920), pp. 2 sq. (ASO, A.2.2.1).

⁷⁸ Generaliter Abbati Primati illae Constitutiones nimis longe aberant ab spiritū Constitutionum Beuronensium.

⁷⁹ Subiunxit autem haec: «*Qui tale genus regiminis desiderat, ne fiat Benedictinus.*» - Textus originaliter Theodiscus.

⁸⁰ Cfr Fidelis von STOTZINGEN: Bemerkungen (28.7.1920), p. 3 (ASO, A.2.2.1).

⁸¹ Ut Cyrill SCHÄFER (2005), p. 109 recte adnotat, Otiliani Abbate Primate neglecto Constitutiones statim ad Congregationem Religiosorum transferre potuissent, ut ibi approbarentur. Tamen sine eiusdem voto positivo approbatio non erat exspectanda.

4.9.2.4. *Deliberationes quaedam, utrum status monachi Benedictini cum opere missionis congruat*

Haec quaestio, num monachi Benedictini insimul possent esse missionarii, iam ab initio foundationis iterum iterumque - imprimis intra Congregationem - disputabatur. Qualem persuasionem hac in re archiabbas Norbertus Weber habuerit, iam scimus.⁸² Sed hōc in conexū denuo haec quaestio breviter tractanda est. Nam circa annum 1920^{um}, quo tempore illae Constitutiones denique reprobatae exhibebantur, etiam scripta quaedam exarata sunt, quibus eorum auctores hōc problema generale modo suo solvere conabantur. Videtur autem conexus quidam inter eventum atque haec scripta exstare.

Primo commemorare volo deliberationes quasdam abbatis Bonifatii Sauer, quas epistulariter Fidelem von Stotzingen in fine anni 1919ⁱ communicavit.⁸³ Nam illā in epistolā Bonifatius Sauer praeter alia fusius in quaestionem missionis Benedictinae incubuit, quia argumentis suis Abbatem Primatem instigare conabatur, ut inter proximum conventum praesidum tempore vernali a. 1920ⁱ habendum totum Ordinem Benedictinum ad opera missionaria magis suscipienda adduceret. Nam secundum eius opinionem et ipsum opus missionarium et spiritus Ordinis postulant, ut magna centra missionaria erigantur. Inde enim totus populus perfundi, ad Christianitatem allici atque euangelizari potest, id quod magnis in regionibus missionariis ab singulis missionariis Europaeis effici non potest.⁸⁴ Necessarium eā de causā est, ut clerus indigenarum excolatur, qui optime «sub umbra» alicuius monasterii (speciatim Benedictini) crescat. Praeterea centrum missionarium monasticumque, quod sit satis conspicuum oportet, plura emolumenta habet et pro missionariis ipsis (cum ibidem methodum missionariam discant et locum spirituales stabilemque habeant) et pro missione, quia talis abbatia centralis cum regione ipsā et cum populo concreseat. Primum munus huiusmodi abbatiae est opus divinum et sunt preces, secundum munus est eruditio clericorum indigenarum. Praeterea instituantur schola opificum agriculturaeque, collegium, seminarium magistrorum et sim.⁸⁵ Ceterum Bonifatio Sauer

⁸² *Cfr* imprimis cap. 4.4.

⁸³ *Cfr* Bonifatii Sauer epistula die 30 m. Dec. a. 1919 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1 (Asien)).

⁸⁴ *Cfr* Bonifatii Sauer epistula die 30 m. Dec. a. 1919 ad Fidelem von Stotzingen directa, p. 2 (ASO, Z.1 (Asien)).

⁸⁵ *Cfr* Bonifatii Sauer epistula die 30 m. Dec. a. 1919 ad Fidelem von Stotzingen directa, pp. 3 sq. (ASO, Z.1 (Asien)).

persuasum est omnino necessarium esse, ut missio quaedam solum «unum caput» habeat, id est ut Superior monasticus etiam sit Superior ecclesiasticus.⁸⁶ Nonnullas alias deliberationes Bonifatius Sauer protulit, ad quas tamen alio in conexū revertendum erit. Sed tamquam conclusio magni momenti est eius sententia haec:⁸⁷ «*Nos Benedictini etiam temporibus hodiernis in regione missionis paganorum operari valemus et hōc quidem valemus spiritu Ordinis nostri non laeso, immo methodus nostra Benedictina atque constitutio Ordinis [...] ad missionem systematicam praecipua emolumenta praebent.*»

Praeterea exstat textus auctoris anonymi, cui titulus est «*Cogitationes de Benedictino modo missionis*».⁸⁸ Tamen - aliter ac fortasse ex ipso titulo concludi possit - non agitur de descriptione, quibus modis Ottiliani revera missionem suam exercuerint, sed de deliberationibus auctoris, qualem modum progrediendi esse bonum atque maxime opportunum ipse putaverit.⁸⁹

Generaliter ille auctor deliberationes desideriaque Norberti Weber aliquatenus sequitur. Nam statim in initio scripsit necessarium esse, ut in unāquāque regione missionariā - nihil refert, utrum sit Praefectura Apostolica an Vicariatus - sita esset abbatia canonice erecta et ut regionis Superior ecclesiasticus insimul esset Prior aut Abbas illius monasterii principalis.⁹⁰ Talis vero unio personalis inter Superiorem monasticum et Superiorem ecclesiasticum auctori est maximi momenti atque quadamtenus fundamentalis. Nam scripsit tantummodo hanc unionem personalem esse modum Benedictinum, omnia alia genera agendi in rebus missionariis non esse Benedictina.⁹¹ Emolumentum enim esse in eo, quod monachi missionarii hunc in modum verum

⁸⁶ *Cfr* Bonifatii Sauer epistula die 30 m. Dec. a. 1919 ad Fidelem von Stotzingen directa, p. 5 (ASO, Z.1 (Asien)).

⁸⁷ *Cfr* Bonifatii Sauer epistula die 30 m. Dec. a. 1919 ad Fidelem von Stotzingen directa, p. 7 (ASO, Z.1 (Asien)). - Textus originaliter Theodiscus.

⁸⁸ «*Gedanken über benediktinische Missionierungsweise*» (ASO, Z.1.30-3). - Agitur de typoscripto duodecim paginarum Theodisce exarato. Terminus, quo textus exacte conscriptus est, non indicatur, sed ex sententiis de Corea prolatis concludi potest hōc scriptum exortum esse, postquam Ottilianorum Vicariatus Coreanus institutus est et antequam abbatiam ad locum Tokwon transferre decretum est, ergo inter annum 1920^{um} et annum 1921^{um}.

⁸⁹ Quaedam cogitationes, quae hic exhibentur, etiam inveniuntur in epistulā Bonifatii Sauer supra commemoratā.

⁹⁰ *Cfr* «*Gedanken über benediktinische Missionierungsweise*», p. 1 (ASO, Z.1.30-3).

⁹¹ *Cfr* «*Gedanken ..*», p. 4 (ASO, Z.1.30-3).

Superiorem monasticum secundum Regulam haberent et etiam plena iura conventualia. Monasterium in regione missionariā fundatum (sive Prioratus sive abbatia) sit oportet centrum atque locus principalis, unde paulatim aliae stationes condantur per totam regionem dispersae. Illae stationes, si bene crescunt, aliquando ipsa monasteria quōque fieri possunt, a quibus iterum stationes minores condantur. Magni autem momenti est imprimis in monasterio principali clerum indigenarum excoli, cuius sacerdotes ut parochi ad stationes minores mittantur.⁹² Hunc in modum progrediendum est, usque dum regio sive dividitur sive dioecesis fit.⁹³ In partibus regionis divisae deinde methodus descripta continuatur.

Necessarium autem est - ut auctor putat -, ne singulae regiones missionariae nimis magnae sint, praeterea ut eadem viribus satis multis exstantibus post breve spatium temporis dividantur. Sic multae difficultates amoveri possunt et administratio huiusmodi regionis missionariae et abbati et monachis facilitatur.⁹⁴ Sequela huiusmodi methodi etiam est alia. Nam archiabbati Congregationis magno emolumento est, cum abbates sui iuris missionibus praesunt. Sub hac condicione archiabbas solum principia generalia methodi missionariae custodire debet. Hunc in modum etiam illa quaestio erit obsoleta, num «propter nimios labores munerum» vel «propter efficacia opera missionaria» munus Superioris generalis ab munere abbatis Ottiliensis sit separandum et Congregationi praesit Praelatus sine monasterio. Huiusmodi constructio - uti auctor existimavit - esset exitium missionis Benedictinae.⁹⁵

Auctori huius textūs ergo persuasum est efficacem methodum missionariam genuine Benedictinam exstare, quā adhibitā non solum officia missionaria bene coniungi possunt cum indigentis monasterialibus, sed etiam in illis regionibus Christianitas bene stabilita exoritur et vis culturalis Ordinis Benedictini manifestatur.

In archivio Ottiliensi etiam alius textus invenitur, qui huic quaestioni specialiter destinatus ad Abbatem Primate directus est et die 6^o m. Sept. a. 1920^o

⁹² *Cfr* «Gedanken ...», p. 1 (ASO, Z.1.30-3).

⁹³ *Cfr* «Gedanken ...», p. 2 (ASO, Z.1.30-3). - Secundum proposita auctoris dioecesis institutā omnes stationes, quae quasi parochiae sunt, in possessionem dioecesis transeunt. Auctor etiam quaestiones tractat, quae cum opibus cohaerent (pp. 2 sq.).

⁹⁴ *Cfr* «Gedanken ...», p. 4 (ASO, Z.1.30-3).

⁹⁵ *Cfr* «Gedanken ...», p. 5 (ASO, Z.1.30-3).

datus.⁹⁶ Haec lucubratio originaliter Latine conscripta est et ei titulus est «*Utrum opus missionum, non exclusa vita parochiali, praesertim apud infideles, filiis S. Benedicti conveniat*». Tamen textū quinque semis paginarum plura exspectantur quam revera praebentur. Nam postquam auctor pauca enumeravit, quae operi missionis fortasse obstarent,⁹⁷ expiscatus est ex variis scriptis, verbi gratiā ex canonibus, ex Regula Sancti Benedicti, ex Constitutionibus monasterii sui, ex aliis auctoribus, sententias, quibus affirmatur monachos licentiā acquisitā etiam extra monasteria sua degere et in opera curae animarum incumbere posse. Aspectus autem laborum, qui in paroechiis exanclantur, praeponderat missionem propriam apud externos faciendam.⁹⁸ Ergo terminus, qui est «missio», apud ipsum satis latus est. Praeterea auctor imprimis illos monachos ante oculos habet, qui vocationem missionariam (id est vocationem curae animarum extra monasterium praebendae) sentiunt⁹⁹ et licentiā abbatis sui ut operatores solitarii in mundum mittuntur. Specialem perceptionem missionariam atque methodum certam auctor non praebet. Nihilominus putat sub cautelis quibusdam et status monachi Benedictini et opus «missionarium» bene coniungi posse.

Sed revertamur ad ipsos Ottilianos. Scitū enim dignissimae sunt etiam cogitationes omnino aliae. Nam P. Beda Danzer, qui diu erat bibliothecarius archiabbatiae Ottiliensis et etiam in typographeo dirigendo operabatur, de hōc themate textum brevissimum (duarum paginarum) exaraverat, cui titulus

⁹⁶ Cfr ASO, Z.1. (Asien). - Textui Latine exarato brevis epistula Francogallico sermone scripta subiuncta est, quā deliberationes Abbati Primate commendantur et conexūs quadamtenus explicantur. Omnia sunt manū scripta. Sed nomen auctoris subscriptum legere non valui et etiam alii periti usque nunc hac in re me nondum adiuvere potuerunt. Tamen - ut variis ex indiciis constat - auctor non est monachus Congregationis Ottilianae.

⁹⁷ Velut canones quidam, disciplina regularis, statum Constitutionum monasterii ipsius, quo scribitur «monachos non singulos in villis oppidisve per quascumque parochiales ecclesias exponi, sed in Conventu aut saltem cum aliquibus fratribus manere debere». Mirum in modum auctor etiam enumerat «experientiam», quae obstaret, cum essent pericula gravissima (scilicet salutis animae), quibus monachus tunc circumdaretur. - Ottiliani autem, cum in conexū missionis de experientia loquebantur, cogitabant potius sive de experientia historica in rebus missionariis sive de experientia propria operum iam factorum. Quae experientiae scilicet missioni non obstant, sed prosunt.

⁹⁸ Tali in conexū, qui interdum elucet, semel etiam Congregatio Ottiliensis breviter commemoratur. - Cfr «Utrum opus missionum ...» (1920), p. 2 a (ASO, Z.1. (Asien)).

⁹⁹ Ipse - ut aperte confitetur - talem vocationem numquam sensit, quā de causā modo satis obiectivo hanc quaestionem tractare posset. - Cfr «Utrum opus missionum ...» (1920), p. 3 b (ASO, Z.1. (Asien)).

est «*De missione deque natura Benedictina*» et qui die 22^o m. Febr. a. 1920^o signatus est.¹⁰⁰ Prima eius quaestio est, quibus rebus indigeat Benedictina vita monastica (id est stabilitate, clausurā, sollemnibus chori precibus) et quā re indigeat missio. Ad secundam partem quaestionis non statim respondit, sed distinguit inter missionem primariam et missionem secundariam. Missio enim primaria secundum eius opinionem sunt opera missionaria, quae ab initio sine fundamentis in loco iam exstantibus incohat (sicuti in Africā), missione vero secundariā fides Christiana non affertur, sed stabilitur (sicuti in Corea).¹⁰¹ Nucleus autem centralis huius textus est in eo, quod Beda Danzer putavit statum monachi Benedictini atque missionem primariam non esse sociabiles.¹⁰² Itaque etiam missionem Africanam, sicuti usque tunc facta est, revera fieri non posse.¹⁰³ Hanc sententiam variis exemplis historicis adhibitis confirmare conatur. In fine vero deliberationum suarum affirmavit plerosque, qui monasterium Ottiliense intrarent, missionem primariam quaerere neque imprimis vitam Benedictinam. Haec contradicto - ut Beda Danzer putavit - non solvitur abbatiis in regionibus missionariis conditis, quibus vita Benedictina promoveretur atque aleretur, neque abbate generali, qui esset caput alicuius Congregationis modernae. His conaminibus problemata potius contegi existimavit.¹⁰⁴ Solutionem talium difficultatem Beda Danzer non praebet, sed subauditur ab Benedictinis tantummodo missionem secundariam, quam appellavit, exhiberi posse.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 195, 2014, pp. 65-89]

¹⁰⁰ Beda DANZER: *Mission und Benediktinertum* (22.2.1920) (ASO, Z.1.30-3).

¹⁰¹ *Cfr* Beda DANZER: *Mission und Benediktinertum* (22.2.1920), p. 1 (ASO, Z.1.30-3).

¹⁰² *Confitetur* vero idem se diutissime aliam opinionem de hoc themate habuisse.

¹⁰³ *Cfr* Beda DANZER: *Mission und Benediktinertum* (22.2.1920), p. 1 (ASO, Z.1.30-3).

¹⁰⁴ *Cfr* Beda DANZER: *Mission und Benediktinertum* (22.2.1920), p. 2 (ASO, Z.1.30-3).